…ristophorus
…mnski …omae Frani. Apsis summa eruditae virtutis et sapientiae cathedra theologica.

A

C

M

S.
Ma
De
Cu

P

In C

Ex O

# APSIS SVMMA
## Eruditæ Virtutis & Sapientiæ
## CATHEDRA THEOLOGICA.
### Q U A M
D V M

*Perillustris, Clarissimus & Admodùm Reuerendus Dominus,*

## M. CHRISTOPHORVS SOWINSKI,

S. TH. DOCTOR ROMANVS, Collega Maior, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Decanus, Custos Pilecensis, Cancellarius Posnaniensis, Curatus Prossouicensis, Contubernij Philosophorum & Scholarum Nouoduorscianarum Prouisor,

PRO LOCO

*INTER PERILLVSTRES S. Th. DOCTORES.*

In Augusta D. VLADISLAI IAGELLONIS Aula,

D. D. Theologorum Lectorio.

## PUBLICE DISPVTARET.

M. THOMAS FRANCISCVS ORMINSKI,
In Celeberrima Vniuersitate Crac.: Philosophiæ Doctor, Matheseos Professor.

In gratulabundi pectoris argumentum, officioso calamo,

LVCI PVBLICÆ,

## PROPOSVIT.

*Anno Salutis 1691. Pridie Idus Iunij.*



CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac: Ducis Seueriæ. Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr:

# APSIS SVMMA
## Eruditæ Virtutis & Sapientiæ
## CATHEDRA THEOLOGICA.

EX Vmbra in Solem, ex imis ad ſumma tolli,
omnium quidem conatus eſt, nonnullorũ euentus.
Multos clara iuvant,
qui tamen vſitato Virtutum calle procedant,
paucos, Lynceus licet ſis, reperias;
Ocyor ventis, tendit in altum faſtu laborans induſtria,
at quoties ſine medio conuenienti,
toties in caſſum, quinimò ad caſum.
Monſtroſum fateor ad præclara iter eſt,
*eum tamen nullo infeſtari nocumento poſſe, certum habetur,*
*qui Virtutis munimento ſeſe obuallârit,*
cùm hæc Anthiſtheni ſit armatura,
quæ, ne Herculeâ quidem vi, detrahi poteſt.
Verùm
*cùm Virtutis rami, ſudore ac labore pullulent,*
quid mirum? ſi hæc duo vnita,
inuitos etiam, in ſumma honoris & gloriæ Apſide firmare ſolent.
Is nempè, Virtutis & Laboris Genius,
Vt quamcunque Orbis plagam incolat, ſibi reddat tributariam.
His Tu Comitibus
Perilluſtris Clariſſime & Adm̃. Rñde Dñe.
M. CHRISTOPHORE SOWINSKI,
S. Th. Doctor & Profeſſor DIGNISSIME,
eò vſque gloriæ proceſſiſti,
Vt ingens, imbellem Tuum encomiaſten, cura circumſtet,
quo Te dictionis apparatu,
Orbi Literario commendet, celebrandum.
Eum quippè Te, Natura effinxit,



Vt

Vt donis innumeris, ad miraculum vsque cumularet.
Tuum felicibus ortum auspicijs ingenium,
Non vnum Neoclidam,
eo vti fecit Epiphonemate:
*Nihil Fili mediocre eris!*
Ita sanè,
Dedisti Nomen Palladi Iagellonicæ,
quatenus Artibus ingenuis exornatum, clarius reciperes.
Trinum Plutarchi sancitum, sacrosanctè seruasti;
*in animo temperantiam, in lingua silentium, in ore pudorem,*
quæ in Te, ceu Erythræi maris gemmæ, enituêre.
Quodsi Virtutis proprium, conciliare sibi animos omnium,
Tu & conciliasti & possedisti ad inuidiam.
*Sæculi namq; huius, labes quædam & macula est, Virtuti inuidere.*
Bonis auibus, ingressus es templum Laboris,
probè persuasus, Deos propitios reddi labore.
Redolebas lucernam Cleanthis in Humanioribus,
lux literatorum futurus;
iungebas insomnes diebus noctes,
vt discussis ignorantiæ Cimmerijs,
Auroram Te omnigenæ Eruditionis probares.
Et quanquam Te,
*in Regno Libertatis, cœlum salutauerit,*
quò tamen liberior ageres,
Principi Libertatis Philosophiæ, Te mancipasti.
Hæc postquam
Athleticas vires suas, in Te experta esset,
Magistrum Virtutum, quia Philosophum,
inuitauit ad Laureas.
Monstrasti, quanti sit momenti Laureatum esse,
dùm nulli parcens labori, in scrutandis rerũ penetralibus,
*omnem difficultatis Gordium,*
*Clarissimi acinace ingenij, soluisti.*
Traxisti, Magnorum Orbis Lechæi Nominum pectora
in Tui amorem,

qui Te Didaſcalo,
Auguſtam ſui ſanguinis Propaginem,
ad præclara quæque formari, volûere.
Circumduxiſti per Exoticos Soles,
pretioſum, Principum CZARTORYSCIORVM Pignus,
eâ felicitate, animique magnitudine,
quâ nemo maior & felicior.
Vidêre in Te, Peregrina Gymnaſia,
Sapientis effigiem animi,
quam gelido ſub Aquilonis Axe prognatam,
mirari ſatis nequiuêre,
Sed exæſtuabant Tui deſiderio Clariſſimæ mentes,
vtq; Redux, lucem Tuæ redderes Matri, fecêre.
Prius proinde es,
*in Magnorum Virorum præcordijs hoſpes ſalutatus,*
*quàm peregrinâ clarior Sapientiâ redires.*
Abiuêre in plauſus & tripudia
Cathedræ Philoſophicæ,
quæ à Te decus & pretium mutuari, exambiuerunt.
Nec immeritò;
Oneroſa quippè in decurrendo ſtadio Stagyritico ſparta,
*cum Atlantes etiam biennio fatiget,*
Te olympiade integrâ,
ceu Athletam Olympicum, ſe maiorem, agnouit.
Submiſiſti laborioſos Purpurato Honori lacertos,
cuius, vt ex aſſe muneri reſpondebas,
*ita laboribus enutritus Miltiades,*
*non vnum Themiſtoclem, ad æmulationem, traxiſti.*
Oceanum Philoſophicum, bolide ſagacis ingenij emenſus,
Diuiniori animum Sapientiæ deſpondiſti:
quem hic funiculum non excutiebas?
dùm ſuavis eloquio, explicatu facilis,
numeroſâ Audientium affluercs coronâ.
In quo Tua ſit Sapientia cenſu,
*Vocali ſenſu, Religioſarum Pallas Familiarum declarat:*

quoties

quoties enim in Sactis Patrûm Cænobijs,
eruditi pars fueras certaminis,
toties palmari clarus decore, quia non ſine palma.

Matura Prudentia,

*quæ Archidamo Viribus potior,*
tantùm Te complexa eſt,
*Vt à fronte ſimul & Occipitio, oculatus eſſe videaris.*
Perendinum Ventum perdiſcere, Te non expedit,
qui ceu de ſpecula
*quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox Ventura,*
mente perſpicaci, comprehendis.
Tuæ in rebus agendis dexteritati,
nemo eſt, qui primas non deferat;
Oſtendiſti toties in Conuentibus Polonæ Nobilitatis,
quantoperè Filij, pro Matris honore, zelare debeant,
quàm liberè pro libertate agere liceat,
dùm Literariæ Ciuis Reipublicæ,
ore diſerto, & ad perſuadendum efficaci,
Ciuium Polonorum animos,
ad agendum pro integritate Immunitatis Academicæ, flexiſti.
Hauſiſti olim magnanimum Spiritum,
à flore illo Tulliani Eloquij cultiſſimo,
FLORIANO LEPIECKI,
Auvnculo Tuo, numeris omnibus abſolutiſſimo:
*Quem vt pro Exemplari Tibi propoſueras,*
*ita nunquàm non ex animi Tui voto,*
*Singulorum compos extiſtis.*
Quam conceperat quondam
de Senaculi Eruditorum grauitate exiſtimationem,
Veneranda Poloni Senatûs,
dicam potius, Regum authoritas,
quando Tu, in Comitijs Regni Generalibus,
Magnanimus Vniuerſitatis Noſtræ Cineas,
non attento maleuolorum conamine,

rem Tibi commiſſam, ex aſſe perfeciſti.
Dignus profectò es,
in quem omnia laudum cogerantur encomia,
niſi quoduis Te ſupra ſit elogium,
tametſi [ vt Sapientibus vſu uenit viris]
illud intra Te formas iudicium,
*Vt imam apſidem humilis de Te ſenſûs,*
*minimè tranſcurras.*
Ego iam non plus vltra,
cum vltra meæ ſit epicyclum tenuitatis,
ingentes Tuorum in Academia meritorum ſphœras voluere,
immenſas laudum texere apotheoſes.
Narrent de Te,
*quibus meliori finxit luto præcordia Titan.*
Dùm Verò Romanâ inſignis Lauru,
ad Senatûs Academici ſublime procedis
Theologus Doctor:
ego Vota fero Tuo honori,
Vt ſummam Apſidem Eruditæ Virtutis & Sapientiæ adeptus
CATHEDRAM THEOLOGICAM,
Viuas longæuus,
ampliore in Re Literaria honore,
DECORANDVS.